


43885



268



Ultimæ Pietatis
PARENTALIA

quæ

Immaturo & acerbo funeri

Filioli sui, olim suavissimi nunc desideratissimi

CAROLI ANDREÆ,

optimæ indolis & spei Pueri in die ipsius exequiali
qui erat 16. Junij adornare voluit

parens mæstissimus

IOACHIMVS REINHOLDVS BAVSSIUS

Reverendissimi Capituli Ecclesiæ Metropolitanæ
Magdeburgensis Syndicus.

Gell. lib. 19. cap. 12.

Herodes Atticus, vir consularis, cum à Stoico repre-
henderetur, quod parum viriliter mortem pueri
ferret, respondit: Affectus hi nobis à naturâ sunt
dati, ut in iis moderandis pulcherrima fortitudinis
exempla edamus: Vos autem, qui à πῆξιν inanem
affectatis, occasiones moderationi tollitis, simul-
que fortitudinis laudem omnem amittitis, quan-
do ex homine stipitem & truncum quendam sensus
expertem facere conamini.



MAGDEBURGI,

Typis **JOHANNIS MULLERI.**

cl. 1658.

[i.e. 1658]





I.



CAROLE chare, mei non ultima portio cordis,
CAROLE pars animæ delitiosa meæ!
CAROLE, conjugij pignus peramabile nostri,
Spes mea, luminibus charior ipse meis!
CAROLE quo vadis, quo te trahit Atropos excors,
Inque suum raptat trux Libitina jugum?
CAROLE quo vadis, turbatoque ordine fati
Anticipas nostros, non rediture, dies?
Lumina debueras (nec enim pietate carebas)
Nostra superjecta claudere fessa manu.
Debueras nostris longum superesse diebus
Et quondam patrij funeris esse comes.
Heu nimium propter abis Puer optimè! peccas
Tempore, in hoc solo noxius esse potes.
Parcite parcarum tria Numina! parcite tandem!
Ille meus vobis non cadat, ille meus!
Et meus & meus est, procul hinc removete feroces,
Et meus & meus est, invida fata, manùs!
Parcite huic, primi qui nec confinia Iustri
Attigit, & vitæ tam breve trivit iter!
Inque alios aliosque feras armate sagittas,
Quos premit annoso curua senecta die.
CAROLE siste gradum! tua te charissima Mater,
Te vocat in longas, cum patre mœsta, moras.
Nulla tibi Matris, nulla est tibi cura Parentis?
Cur finis incassum nos per inane queri?
Scilicet astra meis tecum sunt surda querelis,
Et rapiunt steriles irrita vota Noti.
CAROLE chare, mei non ultima portio cordis,
CAROLE pars animæ delitiosa meæ!
Ante meos oculos tua semper oberrat imago,
Et, quamvis absis, tu mihi semper ades.

Jam

Jam video placidos vultus, orisque decorem
Purpureum, & roseas, igne rubente, genas,
Jam bene compositos puerilis corporis artus,
Jam video geminas, fronte patente, faces.
Labra movere preces video, labra tincta corallo,
Jam video faciles in mea jussa pedes.
Et video & doleo: dolor est meminisse, magisque
Etsi forte velim non meminisse, nefas.
Tute quidem (nec enim sum nescius) omne Polorum
Gaudium & optata prospera sortis habes.
At nos multa premunt miseræ discrimina vitæ
Inque suas versat fors malefida vices.
Aurea te cingunt rutilantis moenia mundi,
Otiæque æternæ mollia pacis agis.
Nos varij casus & mille pericula rerum
Incubitus urgent ambitione sui.
Clara tibi pronò famulantur sydera nūtu,
Et capis angelicis gaudia digna choris.
Nos lachrymosa dies seriesque immensa malorum
Occupat & sævis Mars homicida minis.
CAROLE chore, mei non ultima portio cordis,
CAROLE pars animæ delitiosa meæ!
Hæc ego cum norim, quid voto jactor inani
Invideoque animæ prospera fata tuæ?
Nen equidem invideo: Patrij tamen ardor amoris
Excitat ingenitas in mea vota faces.
Hanc litem natura mouet: componite litem
O Superi & Soboli jungite, quaeso, patrem!

II.

Ergò vale longumque vale novus incola Cœli,
Et cape supremum, quod tibi dico, vale!
Ergo vale nostri peramabile pignus amoris,
Eque tuo tumulto, Si potes, ista lege!

III

III.
Epitaphium.

Quisquis es, attende VIATOR,
Si funebrem hunc contueri tumulum
Curioso dignaberis oculo:
Non hic vel senis, vel Viri, vel Juvenis,
Sed pumililli Pueri cineres invenies.
CAROLVS ANDREAS BAVSSIVS,
Cui brevis, cheu! vitæ pausa fuit,
Hic fatalem nactus est Lectulum,
Cum nondum quinquennales ævi
Inducias compleverat.
Non fuit è Porticu Stoicus,
Nec gravioris frontis Philosophus,
Sed lignum fuit
Ad quemvis parabile Mercurium,
Si coelites adhibere manum
Longioribus voluissent moris.
Jam pro Mercurio factus est Angelus
Et Candidatus altioris studij,
Patri verò moeror, Matri luctus,
Olim delictum, nunc desiderium.
Animam, VIATOR, hic ne quæras:
Si innocuos imiteris mores
Et precaces pueri ardores
Invenies ipsam, aliquando sequax,
In Abramicis sesfilem complexibus.



Nr 332

ULB Halle

3

001 594 656




TA → OL



Retro: Stk. 39 - 42 unvollst.,
nicht in PICA

V077





B.I.G.



Farbkarte #13

Pietatis
TALIA

cerbo funeri
mi nunc desideratissimi

ANDREÆ,
eri in die ipsius exequiali
adornare voluit

estissimus
HOLDVS BAVSSIUS
Ecclesiæ Metropolitanæ
sis Syndicus.

cap. 12.
ularis, cum à Stoico repre-
um viriliter mortem pueri
ectus hi nobis à naturâ sunt
lis pulcherrima fortitudinis
autem, qui à πείθειαν inanem
moderationi tollitis, simul-
m omnem amittitis, quan-
& truncum quendam sensus
mini.

EBVRGI,
SIS MULLERI.
LVIII.

e. 1658]